iuste et pie vivamus in hoc seculo. Gratia etiam
fortificat hominem ut bona teneat. Quia enim ho
mo est bonus et deo gratus. hoc acquirit
et tenet per gratiam. Unde apostolus qui in tantum erat
deo gratus dixit. Vivo ego iam non ego. vivit
vero in me Christus. Ostendit se hoc esse per gratiam
cum dixit. Gratia dei sum id quod sum. Gratia
insuper fortificat hominem ut magna faciat. Cum
enim homo debet aliqua magna opera facere si habet
fortem coadiutorem facilius operatur quam si solus de
bet operari. Et quia gratia coadiuvat hominem
ad magna opera facienda tamquam fortis coadiutor.
homo cum gratia potest operari magna. Unde
apostolus qui fuerat in laboribus plurimis. in carceribus
habundantius. in mortibus frequenter. et ceteris la
boribus quos ibi enumerat. Ita quod dicit se plus
omnibus laborasse. hoc non ascribit sibi soli. sed
coadiutori suo dicens. Non igitur ego. sed gratia dei
mecum etc.

Hugo super Cantica sermone 18. In labore abundans est cibo bonorum operum
ne deficiat. Corpus sit cibus idem docens ait. Meus cibus est ut faciam
voluntatem patris mei. Itaque comitentur penitentie labores pietatis
opera que confortent. Magnam autem fiduciam prestat apud altissimum
elemosina. Cibus sitim excitat. potandus est. Accedat cibo boni
operis oratio. Hic potus. componens in stomacho conscientie quod bene di
gestum est. et commendans deo. Quando bibit vinum letificans
cor hominis. vinum spiritus quod inebriat. et carnalium voluptatum infudit
oblivione. humectat interiora arentis conscientie. escas bonorum
actuum digerit. deducit per quedam membra fide roborans. spe
confortans. vegetans ordinansque caritate. et impinguans medul
las. Sumpto cibo potuque quod iam restat nisi ut pauset egrotus.
Quiete contemplationis post sudores actionis incubat. Dormiens in
contemplatione sompniat deum per speculum et in enigmate. si quando non
ante facie ad faciem intuetur. Hec ille